

Gesso
de primoge-
nito ac suc-
cessionis in
hereditate ...





Pri. 49. Num. 10

56x

EXERCITATIO IVRIS FEVDALIS
DE
PRIMOGENITO
AC
SVCCESIONE IN PARAGIO.

AVCTORE
CHRISTOPHORO GVILIELMO DE GEYSO
EQVITE FRANCO.

P. 278

Ki 3197d



L I P S I A E,
L I T T E R I S B R E I T K O P F I I S.
M D C C L X V.



EXTRACTO DE LAS OBRAS DE

FRANCISCO DE SÁNCHEZ

DE SU OBRA DE

CRISTÓBAL COLÓN



A MONSIEUR
M. LE BARON DE GEYSO,
SEIGNEUR DE WENIGENTAFFT,
ROSDORF ET MANSBACH, ETC.

GRAND TRESORIER DE LA NOBLESSE IMMEDIATE
POSTULE, AU QUARTIER BUCHEN DU CANTON
RHOEN-WERRA EN FRANCONIE.

MON TRES GRACIEUX PERE.



Die in dem Jahre
A. 1781
M. LE BARON DE GUY 20.
REDAKTOR DER WISSENSCHAFTLICHEN
ZEITSCHRIFT FÜR
GRAND PÉRIODE DE LA NOUVELLE LITTÉ-
RAURE FRANÇOISE AU QUATRIÈME SIÈCLE
DE LA RÉPUBLIQUE

FRONTS DE LA CRÉATION DE LA
LITTÉRAURE FRANÇOISE
LITTÉRAURE FRANÇOISE
LITTÉRAURE FRANÇOISE

Mon très gracieux Pere!

*J*e ne sai, si j'ose Vous offrir les primices de mon ouvrage. Trop flatté de V^ôtre amour paternel, et graces envers moi, oserois-je me defier d'une faveur, que je Vous demande: c'est de les recevoir gracieusement. Bien loin a me vouloir vanter fort esprit, affecter prompte renommée, par un savoir

*ample et étendu, non, quelque légère soit mon
erudition, il est non obstant de plus juste, que je
rapporte tout à Vos soins, voeux et souhaits,
de me voir en sage homme. Donc en vertu de
ma vive reconnoissance, je Vous présente mon peu
d'essuy sur le Droit publique et feudale de l'Al-
lemagne, avec un respect le plus profond*

Mon très gracieux Pere!


Vôtre

Fils très obeissant

C. G. B. de Geyso.



C A P. I.
DE PRIMOGENITO.



neque vlla res dignior hominum libera- *Instituti ra-*
lium studiis, neque iucundior, quae- *tio.*
stionibus iuris illustrium personarum,
quarum discussione solida et subtili
magnarum familiarum splendor, et amplissima inter-
dum patrimonia continentur. Quibus ego cogno-
scendis iudicandisque quum operam meam virilem in
illustriissimis Germaniae scholis addixissem, cupienti
ex ista penu sumere scribendi materiam, arrisit in
primis quaestio intricata, successio in paragio. Haec
vero nullam extensam patitur demonstrationem, si
exceperis, quod huius disputationis exempla iam ab
aliis

aliis doctis, et magnam prae se ferentibus famam, viris, frequentiori calculo relata fuerint. Nos itaque potius animum induximus nostrum, meditari in regulas illas, quibus huius successionis ius componitur, et aliorum thematum, aliarumque causarum illi adfinium condiciones et argumenta adferre. Haec inter eminent successio primogeniti, et quae sit certo antecedens sanctionis apanagii vel paragii, quam stricte cognoscere, et ab eius disquisitione specimen nostrum inchoare duximus instituto rationis consentaneum. Ceterum quam egregie fallantur, qui omnia iuris capita immensis eruditorum commentariis extra controversiam posita opinantur, hac ipsa disquisitione comperimus.

*An iure naturali pacta
successoria
secundum
primogeni-
turam lici-
ta sint?*

An consultius sit, in statu vivere naturali, spernere dominia, introducere communionem bonorum, quaestio est tam trita, quam ad publicam expositionem minus idonea. Modo sciamus, Deum lege per rationem reuelata praecipere homini, ad statum agere perfectionis, s. felicitatis. Ea vero, quae obtinendo fini media expeditissima ducat, nisi voluit, ut eligeret, cur libertate morali illum condecorauit? Hinc mihi persuadeo, pristinos mundi ciues firmissimis ductos esse rationibus, ut ad felicitatem stabiliendam externam, novum pactioibus statum adsciscerent, et rebus publicis conditis lege coniungerentur. Considerato autem atque intellecto sine vnus cuiuslibet reipublicae pacto

cto exstructae, externa et communi felicitate, omnes necessario ad illum adspirent focii necesse est; posita obligatione, quae parit ius. Illi conuenienter viuentes iusti, e contrario actiones suas ad illam regulam non componentes iniusti pronunciandi. Fac igitur pacta primogeniturae, fac omnia pacta successoria ineanantur, siue in illustri, siue priuata domu, illius splendoris, seu felicitatis conseruandae ergo inita: vel etiam lege populi primogenitorum iura in successionebus contineri, cur illa, cur haec iniusta pronuncianda? Fortiter vero illorum reprehendenda consilia, qui rem a pactis coortam ex iure mere naturali ac diuino deducere, et multarum gentium institutis, veterum etiam populorum sanctionibus iustitiam eius adprobare, quasi aliorum exempla ius facerent, allaborarunt. Longe sane meliora docuit vir summus Sam. Pufendorfius de iure nat. et gent. L. III. c. 2. §. 5. quibus calculum nostrum plane adiicimus. Nec est diffitendum, successionem primogenitorum, praecipue antiquissimis temporibus vsitatam, ad nostram vsque lucem fere tota in Europa, aliisque in terrae partibus, comprobata vfu seruari; id quod magno labore studioque doctissimus euincit Meierus in Corpore iuris paragii et apanagii a se edito, dissertat: prooemiali de parag. et apanag.

Eam vero in republica Germanica, praecipue in-
 ter illustres, iustam censerī, constat ex sanctionibus,

*An licita
sint in repu-
blica Germa-*

B

qui-

*nica succes-
sio secundum
ordinem pri-
mogenitu-
rae?*

quibus publicus rei patriae status est ordinatus. Neque enim longe petenda sunt argumenta, sed rei doctorum confirmandorum ergo, adducere possumus sanctionem Caroli IV. pragmaticam, auream vulgo bullam vocatam, omnibus serenissimis Principibus Electoribus iniungentem in terris suis electoralibus primogeniturae ordinem pro lege successionis seruandum. Quin antea Fridericus I. const. de feud. II. F. 55. sanxit, vt exfularet diuisio in feudis regalibus maioribus. Vtrum vero ab initio feuda maiora indiuidua fuerint, crebris inter eruditos altercationibus prae-
buit materiam. Quem latet, Goldastum lib. 3. c. 15. Schilterum exerc. 4. th. 13. Rumelinum ad A. B. P. I. d. 6. coroll. Rhetium ad I. Feud. c. 8. p. 310. hanc quaestionem adfirmando decidere. Quis nescit, quos nacti sint aduersarios, ex quorum multitudine Springsfeldium de apanag. c. 5. n. 21. Reusnerum meth. feud. D. II. th. 19. et 20. Wefembecium conf. 14. n. 163. vol 4. Vulteiium vol. 3. Conf. Marp. 25. n. 245. nominasse sufficiat. Vtraque etiam pars pugnat circa obseruantiam Germanorum, quae vero neque Germanis, neque aliis populis omni tempore fuit constans, quum in contrarium saepe occurrant exempla. Ast illam, quae lege s. pacto roboratur speciali vincere, ego quidem mihi persuadeo; etsi Iterus, nescio quo aequitatis ductus studio, tit. 55. L. II. F. plane infirmare velit, ac multorum virorum doctorum opinio

opinio sit, constitutionem memoratam in campis Roncalicis latam, consuetudinibus feudorum Langobardicorum modo insertam esse, hinc in Italia solum, haud etiam iure Germanico, feuda regalia maiora diuidi prohiberi. Quam etiam sententiam B. G. Struuius, et ill. Gebauerus, viri tanti nominis, amplexi sunt. Notum tamen ac tritum est testimonium Ottonis Frisingensis de gest. Frid. I. lib. II. c. 12. constitutiones in campis Roncalicis latas fuisse, vtriusque populi proceribus praesentibus. Et hanc narrationem cel. Io. Iac. Mascouius adprobauit in lib. de iur. feud. c. I. §. 14. not. 5. et ad vtrumque populum pertinere, et vtriusque nationis ius facere, nisi speciatim statum Italicum ordinent, ratiocinatur. Quod si igitur publica Frid. I. lege statutum est, ne feuda regalia maiora diuiderentur, eaque lex, quamquam passim non obseruata, tamen ad Germaniam vniuersalem pertinuit, vnde perfecta sit dispositio aureae B. de electoratibus non diuidendis, et iure primogeniturae seruando, haud difficulter intelligitur.

Sed animum nostrum ad se vocat pax Westphalica, quam, quatenus ad nostram spectat Germaniam, sicuti pactum adgnosimus huius reipublicae fundamentale. Nacti sunt illa omnes imperii status, potestatem, quam vocant *Superioritatem territorialem*: aut, si non nacti sunt, certe eo foedere confirmatam habuerunt.

Vtrum vi superioritatis territorialis status in ditionibus suis introducere queant primogeniturae successionem?

buerunt. Locus itaque disquisitionis erit, vtrum vi illius, proprio iure, consensu Caesaris haud accedente, successionem primogeniturae introducere valeant? Quam legem si ciuibus suis praescribant, adeoque in ditionibus sibi subiectis, quibus illa potestas quidem inhaeret, ordinem istum successionis et praerogatiuam primo loco genitorum pro iure constituant, profecto incongruum foret, vim iuris istius in dubium vocare, atque in voluntate principum, qui in suo territorio tantum possunt, quantum imperator in imperio, non adquiescere. Teste Treuero, longam adferente seriem documentorum, vox *Superioritatis territorialis* saec. X. in Gallia nata, Francogallicisque litteris res primum Seigneurie dicta; in cuius verbi locum paullo post successit vox Souveraineté, reddita latine scribentibus: *Superioritas*. Tandem in Germaniae irrepit curias, sermonibus curialibus frequentata, vt passim in codicillis inuestiturarum, ac primum in tabulis a. C. I D C C C X L I. conscriptis, quibus Ioannes dux Steinauiensis ciuitatem Gorau ex causa venditionis tradidit, occurrat. Post haec cum vocem commemoratam legamus, tum veram ipsius rei mentionem factam reperiamus Saec. XVII. in ita pacificatione Westphalica: qua omnibus imperii proceribus (§. Gaudent) haecce potestas confirmata, et ad iustum modum descripta est; quamquam non omnes omnino controuersiae in scholis litterariis sint sublatae. Et
 quan-

quanta etiam potentia gaudeant principes et status imperii, subsunt tamen capiti eius imperatori, et huius atque imperii supremam maiestatem adgnoscent, quippe neque foederum et ciuiliū legum vinculum, neque nexus imperii feudalis est sublati. Ne quis itaque conamina reprehendat mea, nolim adserere, hanc potestatem talem esse, qualem, propter libertatem ab omni alieno imperio, *Souuerainitatem* vocamus. Hoc adserens non solum iuris publici Germanici principiis incongrue oppugnat, verum etiam eiusdem reipublicae formam plane sublatam contendit. Characterem *Souuerainitatis* liberae induunt gentes, vel principes, quibus vel gubernacula earum rerumpublicarum electione demandata, vel proprio ipsis iure, veluti successione, aut victoriae obuenerunt. Enucleandis his summas praestiterunt operas Olradius Conf. 231. Buer in tr. de ord. gr. P. 2. n. 59. Camer in cap. imp. §. praeterea Duo in litt. R. fol. 94. Bodinus de reipublica cap. 9. de la souveraineté. Verum ex *Superioritate territoriali* ea tantum in Status redundant iura, quorum copia atque exercitium haberi potest saluo cum imperio atque imperatore nexu, quo adstringuntur, praesertim vasalli, cum fidei a se datae, tum beneficiorum ratione. Ideoque recte censet Treuerus, *Superioritatem territorialem* ius territorii denotare, a potestate, quam vocant *Souuerainitatem*, caute discernendum, etsi in nonnullis partibus eam imitatur

omnino. Vnde quilibet facile perspiciet, evanescere iuris praesumptionem, ex capite *Superioritatis* proprio ausu ac facultate introducendi successione secundum ordinem primogeniturae, regulari imperii feudorum nexu subsistente.

*De nexu et
iure feudo-
rum imperii.*

Subsistente vero nexu feudali reipublicae Germanicae, in rei conditionem altius inquirendum est. Tenent Principes status omnia sua feuda ab imperio Caesareque. Illud et hunc dominum adgnoscent directum. Conferantur meditationes virorum doctorum, Schilteri exerc. 6. ad ff. th. 8. Ludolph Hugonis de St. R. Germ. c. II. §. 6. et 30. Rhetii Inst. I. P. LIV. tit. 29. §. 9. Moelleri in pr. lineis vsus practici diuision. feud. Sed anceps aliorum haeret Iterus c. XIX. an penes imperatorem proprietas sit feudorum, quorum complexu potissimum territorium imperii componitur. Ecquis en ex philosophis in regno electio principi adiudicet proprietatem, quum ex suffragio populi rempublicam gubernandi facultatem, maiestatemque teneat, et vinculis pactorum legumque obseruandarum necessitate adstringatur? Controuersis de facultate domini directi, vasallorumque imperii, motis quaestionibus, perpetuum praestant vsum, pacta legesque fundamentales, ius publicum scriptum, obseruantiaeque, i. e. ius publicum non scriptum. Conf. A. B. tit. I. pr. tit. II. §. et quia. tit. IV. §. 1. Rusdorfiumque

in

in vindiciis caus. Palat. vim obseruantiae deducentem. His deficientibus, ius feudale commune, quamquam tit. 55. L. II. Feud. magna cum specie veritatis ceteris sanctionibus reipublicae Germanicae vi aequipol-
 leat. Conf. de auct. I. F. L. Decl. Pac. Publ. de a. CIOCCCCXLVIII. tit. 3. Legendique Thilonus de necessitate iureconsult. §. 57. Mauritius de lib. iur. comm. pos. 22. tandem Baptista Decaché diff. de orig. et nat. et de auct. I. F. L. (ac omnes leges feudales siue scriptae, siue non scriptae, quae statum reipublicae definire iuuant, publicas pronunciandas esse, nulla certo adest dubitandi ratio, quum istae leges, quibus publicum definitur, publici sint iuris.) Itidem in singulis gentibus pacta statutaque gentilitia, a legibus fundamentalibus, quod si haud reprobentur. Ex parte hoc attingunt Gailius L. 2. Obs. 122. ac Nic. Euer in loc. a pact. ad St. et de consuet :

Sed his compositis suadet institutum rationis, nouo *Obseruan-*
 inquirere conamine, an Imperii Status, vassallique feud. *tia vt primo-*
 regalium maiorum, lege in quibus, prout dicendum, *genitorum*
 primogenitura iamiam introducta, proprio nunc iure *successio in*
 absente consensu, quo ab imperatore roboratur pri- *feudis rega-*
 mogenitura, stabilire illam, plane prohibeantur, pa- *libus maiori-*
 cto nec lege obstrepente? Accedunt Milerus d. Tr. *bus confir-*
 C. 21. §. 58. L. B. a Linker de grau. extr. p. 68. ac *matione Cae-*
 Springsfeldius, sollicita cura ad exempla, matrem ob- *beta adpro-*
betur et ob-
seruantiae
vis.
 feruan-

feruantiae, prouocantes. Ne vero et nos consueta cum incertitudine obseruantiam implorare videamur, primum in vim eius meditari a scopo haud erit alienum; etsi paucissimis verbis iamiam illius meminerimus. Siccine exemplis neque forma reipublicae, neque nexus illius definitur publicus. Vnice ex pactis legibusque fundamentalibus forma reipublicae cognoscitur. Quaestione mota, in illis non nominata, ius, quod ipsa promulgauit natura, ad statum publicum adplicatum, vel analogia status reipublicae pactitii amplectenda. Haec, vti in aprico positum, nullas obseruantias sapit pluribus introductas exemplis, altera tacente parte. Suppeditemus instantiam. Quis subsumat, principem, s. si penes plures potestas maiestatica, tacite cum illis maiestatem respicientibus pacifici, ea ex iure suo perpetuo agere, quae tribus exinde pluribusque vicibus tacentes fieri passi sunt? Vnum ac idem esse tacere, consentireque, sana dissuadet ratio; quis taceat, quum consentiat, viceque versa? Quin, omni introductione obseruantiae, altera pars introducens ius acquirit, altera vero, in quam praescribitur, hoc idem amittit. Verum etiam omnis iuris amissio instar detrimenti computanda. Ad iussum de detrim. ex sola patient, et conscient. Guilielmum Hannellium de I. F. c. 7. Fictum praesumptumque consensum esse, nullamque veram et genuinam nasci ex illo obligationem, pacto nisi eandem vim ade.

adepto, perspectu facile. Hac vero ratione, obseruantis, legibus, pactisque iuri aequiparatis, tuto ad illas prouocare licebit. Conf. iam all. A. B. tit. I. pr. tit. II. Magnaque cum elegancia differunt de iure obseruantiae, iureque publice non scripto L. B. a Senkenberg, Immanuelisque Weber. Atque nunc, quando sit omissum quaeritur, sanctiones huiusmodi primogeniturae quo minus consensu Caesaris sanctiones redderentur? Plurima nobiscum pugnant exempla, quibus exhibendis prae ceteris Springsfeldius operam nauauit Cap. V. Et quamquam hanc obseruantiam interruptam tradat Besoldus de success. diss. 6. n. 24. nullum tamen superest dubium, quin recentiori aetate fortius repetita sancta seruata fuerit. Vid. eund. Springsfeldium d. C.

Mouetur etiam inter eruditos lis, vtrum ordinum imperii consensus requiratur comitalis circa confirmationem primogeniturae Caesaris in feudis regalibus maioribus? Exsurgunt Milerus de Tr. cap. 21. §. 81. Betsius de pact. cap. vlt. p. 489. ac Limnaeus I. P. VI. 8. n. 121. de necessitate consensus persuasi. Ex aduersa contendit parte Mauritius P. II. conf. chil. I. n. 36. quem laudat Itterus c. XII. p. 632. nullam vquam legem exstitisse, exposcentem hunc, multisque in contrarium patentibus exemplis, abesse posse. Nisi vero mihi vinci blandior, prima et altera dissen-

*An ordinum
imperii con-
sensu comi-
tiali opus sit,
tractatio.*

C

tien-

tiendi rationes haud aequè bene praemeditatae sunt; certo nulla nostro in imperio viget obseruantia, cui haud in contrarium quaedam alluceant exempla. Nec dicam ea omnia, quae in Germania sint iusta praefanda, vt lege nitantur requiri; insignem alias reicerem doctrinam obseruantiae. Conuenio vero cum Ittero, monstrosam esse allegationem capit. Leopold. nullaque refutatione dignam. Sed ne nimis hifce diiudicandis opinionibus immorer, quam ego de hac lite colo, proferam. Nullus enim dubito, quin vtpote in legibus prior ac posterior sit obseruantia largienda, hanc illi derogare. ill. Pütteri in Synt. I. P. G. Lib. I. c. XIV. §. 182. accedo sententiae, huc computanda analogia, de qua Kulpifii de analogiae iure, et Hoefleri de iurisprudentiae analogicae fundamentis, dissertationes expiscandae veniunt. Omniumque praecipuo fundamento, tacito, quorum interest, inclarescente consensu, v. eund. Pütterum d. L. §. 178. eodemque tolli, fluit. Nullaque lege definiente, quot ad obseruantiam stabiliendam actus requirantur, ex solo tacito consensu vim nancifcente, tres omnino sufficiunt. Pauciores vix substitui queunt, si certitudo consensus adparere debeat. Inquire in huius argumenti vim Kemmerichius in lib. de probat. consuet. et obseru. Quid vero ad exempla posterioris, ac de qua nobis sermo est legenda obseruantiae attinet, perspicendus omnino dict. laudatusque Itterus dict. Cap. Nec hactenus maiestatem imperatoris circa

circa ordinum consensum exposcendum restrictam legimus. Tacito ex consensu imperii sese solum imperator feudorum regalium maiorum dominum gerit directum, quum non imperium, sed imperator feuda regalia maiora conferat. Nullo igitur limiteposito, nullum faciamus.

Ad obseruantiam aequae redit ius imperatoris, inuestitura successione[m] introducendi primogeniturae in feudis imperii; quum procul dubio sit, imperatores hoc per longa exercuisse tempora, quin, nec nostris temporibus, capitulationibus, vel alio pacto fundamentali, exceptum constat. Conf. Besoldus P. IV. conf. 148. n. 4. Rolandus a Valle conf. n. 1. et 6. vol. 3. Lancelot Conradus in templ. iud. omn. lib. §. 4. fol. 14. Etsi ad feuda regalia maiora attentus, vix largiar, limitibus minorum egredi hancce potestatem, quum in prioribus lege vniuersali iamiam instituta sit.

*Potestinus-
stitura impe-
rator intro-
ducere suc-
cessionem
primogeni-
turae.*

Quae in introducenda successione primogeniturae conuentionalis pacto, statuto, vel testamento, fit norma obseruanda iuris, auxilio optimorum Ictorum explicat Pfeffingerus Tom IV. lib. III. tit. XX. Beneque discernentem facile animaduertere, conuicio, hanc in feudis regalibus minoribus proprie ob-

*De primoge-
niture con-
uentionali.*

tinere, ad illam, quam vocant, legalem, haud adstrictam.

*De ordinum
prouincialium
consensu.*

Tandem ad sanctionis primogeniturae sanctitatem augendam, ordinum prouincialium consensum requirunt Springsfeldius c. V. p. II. n. 53. Betsiusque c. X. p. 487. et 488. Ex quo fundamento, iudicent alii; Nos alterum adgredimur caput.



CAP.

C A P. II.

D E

SVCCESIONE PARAGIATORVM.

Constat vero inter omnes, successione primogenitorum constituta, principibus vltrogenitis legitimum seu pensionem deberi, vnde se honeste alere possint, et natalium suorum conditioni splendorique conuenienter viuere. vid. quae sentit Arnifaeus Polit. cap. 9. fol. 218. Quam vero pensionem alimentitiam ipsa cum introductione primogeniturae in vsum haberi coepisse haud incongrue adfirmant Springsfeldius Cap. I. p. 4. §. 6. Fagerus in Deuteron. XXI, 17. Tr. criticorum sacrorum p. 1280. et 1281. Vatablus in eumd. loc. p. 1283. ac Grotius in eumd. §. 16. 17. p. 1286. In Gallia instituta successione primogenitorum, legatum alimentorum, pensionemue eo nomine conuentam, voce apanagii designabant, cuius originaria vocula: *pain*, panis, genium atque indolem litterarum intelligentibus ipsa se prodit. Perspicit hoc Springsfeldius cap. I. n. 29. Plane autem nullam meretur animi attentionem ficta traditio Schilteri etymologiae vocis (appanage) eorumque, quos, partium studio deceptus, sequutus est. In nouam inducit eruditos pugnam, quo tempore apanagium

*Prolusio de
apanagio et
paragio.*

C 3

in

in Gallia innotuerit? Verum enimvero quum nec palmaria nec ob defectum actorum publicorum lis finiri poterit, consultius illam praeterire duximus. Nouimus interim legata principum Germaniae vltra- genitorum alimentitia eodem dici nomine, et ante tempora Schilteri vel regulare, vel irregulare apanagium fuisse: illo in pecunia numerata, interdum etiam fructibus naturalibus consistente; hoc vero in exiguo districtu, seu praefecturis, cuius reditus suos faciant, in vim pensionis alimentitiae, Duce vero Schiltero, quem Thomasius aduersus Hertium sequutus, technologia apanagii irregularis plane eradicata, paragium, item ex Gallia arcessendum, forsan melioris distinctionis causa, ventilarunt. Ad haec curatori indagandum studio, omni cum vtilitate iterum dignum erit perscrutato Corp. Iur. Apanag. et Parag.

Paragii natura.

Vt Scopo proximius accedamus nostro, in indolem atque naturam inquiramus paragii. Sanctione successione primogeniti, postgenitos a successione excludente, incongruum videatur, propugnare, postgenitos paragium in vim successione amplecti, nullum nisi pensionem alimentitiam finem prosequente paragio. Concinne de hoc disputant Springsfeldius Cap. II. n. 22. Cothomannus Conf. I. n. 168. vol. 5. Merlinus de leg. lib. 2. tit. 1. quaest. 3. n. 6. Secus tamen, si alia licita ratione pactum fuisset. Nolo etiam profiteri, principes paragiatos in paragio suo superioritatis territorio-

ritorialis potentes esse, licet Rhetius de iur. port. aliment. C. I. n. 27. atque Seckendorffius P. II. c. 3. n. 1. primogenitos vltrogenitis illam conferre adsuescere quibusdam adductis exemplis contendant. Mea quodsi declaranda est sententia, nostro tempore vnice ad I. P. W. prouoco, huius disputationis arbitrum. Restricta in illo ad characterem status hacce potestate, principeque vltrogenito ex pacto vel lege primogeniturae ac paragii, partem ducatus vel principatus sortito, cuius reditus suos faciat, ac cui peculiariter neque sessionis, neque suffragandi ius in comitiis, quod characterem status efficit, inhaeret vel speciali sanctione ipsi concessum tenet: nec illum induet, nec, quod rite sequitur, superioritatis potens erit. Pacto tamen in ipsum collata, pacto reipublicae formae maxime id aduersari, perspectu facile. Nihilominus iura accepta tenente non abnuo, quod physice, ast nunquam moraliter illa amplectetur, saluo I. P. W. manente. Ingenueque fatentur Rudingerus lib. const. feud. stat. imp. concl. 40. Rosenthalius in Conf. de feud. c. 56. n. 14. Milerus in addit. ad diff. Rumelini ad A. B. c. XXV. §. 12. ordinarie principibus paragiatis nulla adiudicanda esse regalia superioritatis territorialis fontes. Prae ceteris vero vana eorum sunt consilia, quibus argumentari lubet, requiri, vt imperatoris decreto, vel inuestitura superioritas in paragiatos transferatur. Hic iterum in animum reuocanda, quae

quae de sanctitate pacis Westphalicae iamiam effati sumus, pactis reipublicae, qua ratione illam spectat, Germanicae accensenda fundamentalibus; pactumque fundamentale abrogari decreto imperantis, vel alia lege, in regno electio, bonos iuris interpretes fugit. Tum secundum politicam nulla lex, nullumque pactum reipublicae fundamentale abrogandum, nulla necessitate melioris obtinendae salutis ingruente; tum largiamur, hoc abesse, indubitatae tamen subsistit rationis adfertum, nullum abrogari pactum, ne minima quidem in parte, consensu eorum, quorum interest, haud accedente. Omnis pacti forma naturaque ex mutuo inducenda consensu conf. Treuerus ad Pufend. c. IX. p. 219. eumdemque Pufendorffium in opere maiori de I. N. et G. lib. III. c. VI. Quin immo, nec cum instituto primogeniturae paragiique conuenit, ut vtili potiaturo dominio paragiatus in feudo imperii, ipsi primogenito solum vtili adiudicando, directoque apud totum imperium, vel imperatorem, huius administratorem, remanente. Expendunt hoc Strauchius diff. I. P. IV. 23. ac Clutenus syllog. rer. quotid. concl. 30. tit. 1. p. 30. aliique; quamquam olim subfeuda a primogenito in vim portionis alimentitiae postgeniti tenerent, uti refert Betsius c. 9. fol. 603. ac Befoldus nomico polit. lib. diff. 5. n. 12. Clara itaque atque perspicua erit epitome nostra, saluo circa primogeniturae successionem sine, nullo nisi reditus suos facien-
 di

di titulo principem vltrogenitum paragium acceptum ferre, exfulante dominio, proprietate, iureque alienationis, ne consentiente quidem primogenito, in imperii feudis. Add. Springsfeldium c. II. n. 249. ac Besoldum diff. 5. n. 15. Laudo etiam Springsfeldium, quem multi sequuti, sollicita cura, inter apanagium legale et conuentionale discernentem. Prius in iis, in quibus lege primogenitorum iura successionis extenduntur, vltrogenitorum vero restringuntur, obtinet feudis: posterius ex sola conuentione vim nomenque arripit. Naturam illius ad formam praefatam componi, nunc ipse induco: huius vero e sola conuentione pacifcentium, adnuentibus legibus pactisque fundamentalibus, atque domini directi consensu accedente.

Tandem pacto vel lege circa paragium successionis ordine in illo prosequendo, late definito, frustra implorantur iureconsulti. Suggestis vero casum, pactum primogeniturae praescribere plane omisisse, quoniam comprobetur ordo successionis, an secundum primogenituram? Contendit Milerus in lib. de St. et princ. cap. de princ. vltrog. in apanagio irregulari s. paragio nullam obtinere primogenituram, quum alimentacionis causa constitutum sit. Bene Milere! Sed si frater vltrogenitus non solum in vim pensionis alimenticiae, verum etiam successionis paragium teneat, quod apanagia conuentionalia, etsi non legalia adnuunt. Video tamen, illum in fine limitare adser-

Ordinis successionis disquisitione.

D

tum

tum suum, pacti vel obseruantiae reminiscens, Paucioribus adhuc verbis reicit Springsfeldius c. XI. n. 43. successionem primogeniturae in paragio, cuius auctoritatem sequitur Knipschildtius, strenuaque prior haurit argumenta ex assensu Hotomanni lib. II. de iur. reg. Gall. rubr. eandemque normam iudicando seruasse Rosenthalium in caussa Brunsvic. -- Lüneburg, tradit: hunc sequuntur Besoldo, Rumelino, totam rem confectam putat. Insigni interim studio emendat Springsfeldius errorem comitis Guilielmi Montisferratis, apanagium indiuiduum esse. Mirabundus totam rem doctus adspicit Itterus c. XIII. p. 6. 73. Consentit quidem nobiscum, primogenioque obloquitur; attamen aegre, quum ipsi exemplum obftet domus Halberstadiensis, etsi plura sapiamus. Nostro ex ingenio quodsi velis argumenta petamus, distinctionem apanagii legalis et conuentionalis, regularis et irregularis s. paragii reiteremus. *Irregularitas* omnis apanagii legalis, si de iure quaestio est, nequeat transgredi limites legis, quibus vincitur, specialis: est apanagium conuentionale legibus pactisque fundamentalibus demum restringitur. Nunc ipse sentias, B. L. lege introducta primogenitura, a successione postgenitos excludente, vtrum in vim successionis apanagium irregulare, s. paragium hi suscipiant? anque nulla adferenda successione, primogeniturae suffragandum sit? Si de paragio conuentionali magis disputandum erit,

erit, regredere ad leges pactaque reipublicae Germanicae vniuersali fundamentalia, quae in illis non reprobatum successio, non potest non legitima iustaque pronunciari. Qua igitur ratione in apanagio irregulari, s. paragio, conuentionali et legali superioritas sit assumenda, paginae exhibent. Qua tandem ratione in vtroque primogenium, pag.

Perfpicuitatis causa his adlocanda: Si in paragio conuentionali seu pacto primogeniturae nulla mentio facta fuerit, pactum restrictum esse videtur, paragiatique introducere primogenituram adnitentes, illud extendere conantur. Quantum vero abest, ut pactum, quaecumque sit, extendi vel dissolui possit, haud accedente consensu, cuius interest, conf. pag. tantum etiam abest, ut paragiatus successionem primogeniturae in paragio suo instaurare queat, absente consensu primogeniti, remanentibus penes ipsum omnibus territorii iuribus, auctoritate pacti primogenii, atque, ex quibus nascitur superioritas territorialis. Huc refertur ius successionis in terris territorii, ex pacto acquirendum. Prouenit ex eodem qualitas possessionis, et, ut ambages euitentur, quaelibet vnica describitur voce: v. c. nouimus, quae ex qualitate feudi Francici, hereditarii, regularis et allodii in possessores redundant iura, in primis successionis. Sed omnium bonorum qualitates inuestigare, immensum

Successio primogeniturae in paragio conuentionali haud definita consensu primogeniti introducenda.

foret iter: repetamus potius regulam, omnium terrarum territorii possessores iura cum fundis coniuncta a principe territorii accepta tenere; quae vero non concessit, salua retinet. Iam fac, vltrogenitum ex statuto nactum esse districtum, vel praefecturas aliquas, quarum reditus suos faciat, in vim pensionis alimentitiae, quod apanagium irregulare, s. paragium dicimus, iis certo omnibus ex conuentione vti fruitur iuribus, hoc cum legato alimentitio coniunctis; quae vero a fine eius remota, nec ipsi tradita adiudicari queunt. His subnixus, aequissimo defendit Marte Bergerus de iur. apanag. §. 50. primogenito competere iura territorii apanagiatorum. Nec cum instituto paragii in eodem primogenituram conuenire, ex pag. allucet. Finem impono demonstrationibus meis, praestructisque necessariis argumentis, vltimam inuoluo conclusionem, in apanagio conuentionali primogenium consensu et concessione primogeniti, tamquam imperantis, territorii, introducendum esse, quod si ratio iuris germanici publici habenda, eiusdemque analogiae vsus sit faciendus.

Tuo vero B. L. iudicio, submittimus definitiones elaboratiunculae nostrae, quam absoluiimus.



40

Ki 3197d

ULB Halle

3

004 785 770



f

VII
19





Pr. 40. Rubr. 10

56x

EXERCITATIO IVRIS FEVDALIS
DE
PRIMOGENITO
AC
SVCCESIONE IN PARAGIO.

AVCTORE
CHRISTOPHORO GVILIELMO DE GEYSO
EQVITE FRANCO.

P. 2781

Ki 3197d



LIPSIÆ,
LITTERIS BREITKOPFFIIS.
MDCCLXV.

